



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

I. De Fœdere, quod facit Deus cum Abraham & vniuersa Ecclesia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

Agar) חַגַּר peregina, à גַּר.

Sur) שׁוֹר inspector, à שׁוֹר intuitus est.

Hismael) יִשְׁמַעֵאל exaudit Dominus.

Cades) קַדֵּשׁ sanctus.

Barad) בַּרְדָּ בardo.

## CAPVT XVII.

### LOCI PRÆCIPVI.

- I. De Fœdere, quod facit Deus cum Abraham & vniuersa Ecclesia.
- II. De Signo fœderis, hoc est, Circumcisionis.

#### I.

### DE FOEDERE, QVOD facit Deus cum Abraham et vniuersa Ecclesia.

Deus colligit & constituit Ecclesiam omnibus temporibus, uoce promissionis, in qua remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam creditur.



tibus, propter Christum Mediatorem donat. Hæc promissio supra cap. 12. & 15. tradita est, & nunc hisce uerbis repetitur: Ero Deus tuus, & seminis tui post te, hoc est, Ego recipiam uos, saluabo, donabo iusticia & uita Æterna, & uos uicissim me solum uerum DEVM patefactum data promissione de Filio Mediatore agnoscetis. Ut enim in fœderibus mutua fit declaratio uoluntatum, & stipulatio ab utraq; parte: Sic in hoc fœdere & Deus Ecclesiæ suæ bona promittit, & uicissim Ecclesia fidem, inuocationem & obedientiam suam Deo pollicetur & præstat. Ita hic ad Abraham dicit: Ambula coram me, & esto perfectus seu integer, id est, me agnoscas uera fide, & uitam ac mores tuos uoluntati meæ conformes, nec contamines cultu idolorum, uel falsis opinionibus, uel sceleribus cum uerbo meo pugnantibus. Nam uox תמים Thamim, Perfectus, non significat habentem omnium uirtutum summos gradus, sed integrum seu incorruptum, & uera fide ac morum integritate DEVM contentem. Sumus enim in hac uita perfecti, non consummatione, sed imputatione perfectionis Christi & incoatione.

Duplices sunt autem promissiones, seu duplex est fœdus quod Deus cum Abraham hoc in loco facit, Alterum est spirituale & æternum, & ad uniuersam Ecclesiam pertinens, de quo dicitur, Ero Deus



Deus tuus. Item, Patrem multarum Gentium constitui te, hoc est, ut Paulus interpretatur, Omnes fide amplectentes promissionem de Semine traditam Abraham, hi cum Abraham benedicentur, per omnium bonorum celestium participes fient, sicut sint Iudaei circumcisi, siue Gentes incircūcise. Rom. 4. Ideo ex Fide, Gratis, ut firma sit promissio tui semini Abraham, non ei tantum quod ex Legge, sed id est, Circumcisio, sed etiam quod est ex fide Abraham, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est, Patrem multarum Gentium constitui te. Esai. 54. Montes commouebuntur & colles contremiscent. Misericordia autem mea non recedet à te, & fides pacis meae non mouebitur. Esai. 59. Hoc est factum meum cum eis, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui in aeternum.

Alterum est Foedus Temporale, seu promissio corporalis Terrae Canaan, ut esset certa sedes Ecclesiae, & certus locus ubi CHRISTVS nasceretur, & uictima fieret. Etsi autem nunc Ecclesia non habet promissiones corporales, tamen non habet speciales de certo loco, sed generales, quod uidebitur esse conseruanda, non interitura, etiamsi uera terra, ut Daniel uocat dispersio, & semper de uno loco in alium migrat, ut nunc ἐξ ἑσχάτου μυστῶν relegatur in has boreales regiones, Pigris ubi rara campant



arbor aestiua recreatur umbra, Quod latus terra  
nebulæ, malusq; Iupiter urget, ut Horatij carmine  
utimur.

## II.

DE SIGNO FOEDERIS,  
hoc est, de Circumci-  
sione.

Grauißima est doctrina de Circumcisione, cuius  
summam Sex Capitibus inclusam recitabo.

PRIMO. Semper Deus promissioni addidit  
externa signa in oculos incurrentia, & commune  
facientia de promissione, quæ Sacramenta uocantur.  
Quare cum Abrahamæ traderet Deus promissionem  
renouatam, adiunxit signum Circumcisionis, quod  
ideo in illa corporis parte institutum est, ut com-  
monefaceret de promissione, quæ loquitur de uen-  
turo Semine.

Secundo, ut significaretur hanc naturam mer-  
sam in peccatum præcidendam & abolendam esse  
& quod oporteat eam restitui, per, & propter il-  
lud Semen benedictum.

Tertio, Ut moneret Deum uelle, ut homines re-  
uerenter utantur semine & toto opere generatio-  
nis, quod in eum usum præcipue conferendum est, ut  
augeatur numerus cultorum Dei.

Vt au-